



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. I. De Archidiacono, & an habeat dignitatem & jurisdictionem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

bus, vita, & doctrina sapius commendantur, ad divina mysteria non admittantur, cum sine talibus (saltem *Formatis*) merito suspecti esse possint, quamvis sub juramento etiam probare velint, hos vel illos ordines à se susceptos, cum qualitates extrinsecæ, uti est in his vel illis Ordinibus constitutum esse, non tam ju-

ramento, quam aliis indiciis, testibus, v. g. litteris authenticis probari debeant. De quibus peregrinis Clericis etiam illud in Trident. statuitur, *sess. 22. in decreto de observand. in celeb. miss.* ut irreverentia vitetur, singuli in suis diocesis interdican, ne cui vago aut ignoto Sacerdoti Missas celebrare liceat.

## TITVLVS XXIII.

### DE OFFICIO ARCHIDIACONI.

Quæ hoc & sequentibus Titulis, de officio Archipresbyteri, de officio Sacristæ, & Custodis, de variis eorum functionibus dicuntur, non tam ex jure communi, quam ex communi praxi cuiuslibet Diocesis desumi debent, ubi nomina quidem dignitatum harum, personatum, & officiorum penes Capitulares Canonicos supersunt, functiones verò pleræque ab aliis præstantur. De jure tamen communi loquendo, sit

#### §. I.

*De Archidiacono, & an habeat dignitatem & jurisdictionem?*

Archidiaconus de jure communi antiquo ille censetur, qui primus Diaconorum ex officio suo curare debet, ut alii ritè suo munere fungantur; & hinc aliis Ecclesiæ ministris imperare poterat, eos instruens ad Altaris ministerium, bona Ecclesiæ administrare, dispensare, & Vicarius Episcopi in omnibus erat perpetuus & intitulus: hodie tamen pleræque hæc, juxta particulares Ecclesiarum

consuetudines, à Vicario generali Episcopi expediuntur: qui Vicarius datus ab Episcopo dicitur, & spirituales tantum jurisdictionem habet, cum alter perpetuus, natus, & intitulus Vicarius Episcopi sit, cujus jurisdictio à lege habetur; alterius verò jurisdictio immediatè ab homine, ab Episcopo scilicet provenit, à quo ad Episcopum appellari non possit, cum sit unum idemque tribunal utriusque, sicuti potest ab Archidiacono, qui inferius quidem, proprium tamen tribunal habere censetur.

Est autem Archidiaconatus de jure communi propriè dicta dignitas Ecclesiastica (præminentia scilicet conjuncta cum jurisdictione) *c. 1. & 7. h. t.* quamvis enim Archipresbyter ratione Ordinis Sacerdotalis sit major Archidiacono, cum hic ex jure antiquo communi tantum Diaconatus Ordinem habere debeat, major tamen est Archidiaconus Archipresbytero ratione jurisdictionis in foro externo ordinariæ, quam nullam in foro exteriori habet de jure communi

Archi-



Archipresbyter; attendenda tamen hac in re Ecclesiarum particularium consuetudo.

## §. II.

*De officio, & potestate Archidiaconi in specie?*

**A**D officium Archidiaconi, prout in Sacris Canonibus describitur; pertinet primò, ut sit Vicarius Episcopi in omnibus fori externi causis, tam intra urbem Episcopalem, quam extra existentis, & intra tertium quemvis annum totam diœcesin visiter, minora delicta puniat ac corrigat, majora ad Episcopum deferat *c. 1. h. t.* Secundò spectat ad Archidiaconi officium, legere Evangelium

in Missa solemni, si Episcopus celebret, vel saltem alteri Diacono legendum præcipere, & præcipuè Levitis circa Altaris Ministerium, ordinare hoc, & ad hoc ritè celebrandum competentes ministros instruere (saltem ubi viget talis consuetudo) *c. 2. h. t.* Tertio ad officium illius spectat custodire vasa sacra, & divinis usib<sup>9</sup> dedicata, quia horum conservandorum suprema cura illi commissa est, *c. ea qua 3. h. t.* Vide plura, quæ de jure communi ad Archidiaconi officium pertinent in *c. ad has 7. h. t.* & in *c. 4. ac 9. eodem* & in *Can. 9. §. Archidiaconus dist. 25.* nisi contradicat consuetudo, quæ pauca hodie Archidiaconis concedit.

## TITULUS XXIV.

## DE OFFICIO ARCHIPRESBYTERI.

**A**Rchipresbyter ille dicitur, qui reliquis Presbyteris præest, & in ijs, quæ Sacerdotalis officii sunt, imperat, duplex autem est Archipresbyter, urbanus unus seu civitatis, qui in urbe Episcopali constitutus, omnibus Presbyteris, vel suæ Ecclesiæ præest, Cathedralis scilicet aut Collegiatae Ecclesiæ Decanus; alius verò est ruralis seu forensis, qui extra civitatem Episcopalem curam habet Presbyterorum, per diversos titulos dispersorum, & communiter Decanus ruralis dicitur. De his  
sit

## §. I.

*De officio, & potestate Archipresbyteri civitatis, seu Decani Ecclesiæ Cathedralis, & Rectoris, seu Decani Ecclesiæ Collegiatae.*

**E**Jus officium est absentis Episcopi vices subire in illis, quæ Sacerdotalis officii sunt *c. 1. 2. & 3. h. t.* ubi etiam præcipitur Archipresbytero, ut aliorum Sacerdotum diligentem curam gerat in illis, quæ ad Sacramentum Eucharistiæ, ad Horas Canonicas, & Divinum Officium dicendum, ad custodiam Sacramenti Eucharistiæ, ad Sacramentum penitentia pertinet; de quibus omnibus